

Præclare et pie *Manuale* S. Augustini, cap. XXIV: « O anima mea, ait, insignita Dei imagine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, ornata virtutibus, deputata cum angelis, dilige illum a quo tantum dilecta es. Intende illi qui intendit tibi, quare querentem te, ama amatorem tuum. Esto sollicita cum sollicito, cum vacante vacans, cum mundo munda, cum sancto sancta. » Et paulo inferior: « Elige illum in amicum præ omnibus amicis tuis, quia cum omnia tibi subtracta fuerint, solus ille tibi fidem servabit: in die sepulture tue, et cum omnes amici tui recedent a te, ille te non derelinquet: sed tuetur a leonibus infernalibus rugientibus præparatis ad escam, et conducent per ignotam regionem, atque perducet ad plateas supernæ Sion, et ibi collocabit te cum angelis suis ante faciem majestatis suæ: ubi audies illud melos angelicum, Sanctus, sanctus, sanctus, etc. Ibi est canticum lætitiæ, vox exultationis et salutis, gratiarum actio, vox laudis atque alleluia perpetuum. Ibi est cumulus felicitatis, supereminens gloria, superabundans lætitia et omnia bona. » Ac tandem concludit: « O anima mea, suspira ardentem, et desiderata vehementer, ut possis pervenire ad illam supernam civitatem, de qua tam gloriosa dicta sunt: in qua sicut letantium omnium habitatio est. Amore potius ascendere: amanti nihil est difficile, nihil impossibile. Anima quæ amat, ascendit frequenter et currit familiariter per plateas celestis Jerusalem, visitando illos Patriarchas et Prophetas, salutando Apostolos, admirando exercitus Martyrum et Confessorum, choros Virginum speculandarum, et omnium Sanctorum. » Ecce sic S. Augustini conversatio erat in celis, expectans inde Salvatorem.

21. QUI REFORMABIT CORPUS HUMILITATIS NOSTRÆ, CONFIGURATUM CORPORI CLARITATIS SUÆ. — Pro reformabit, græce est *κατασκευάζει*, transfigurabit, transformabit, hoc est, in aliam figuram et formam, non essentialem, sed accidentalem commutabit, ut scilicet ex corruptibili faciat corpus incorruptibile, ex passibili impassibile, ex terrestri celeste. *Secundo*, « corpus humilitatis » hebraismo vocat corpus humile, id est vile, abjectum et miserum. *Aliter* S. Bernardus, serm. 47 in *Cantica*: « Vocat, inquit, corpus humilitatis, quia soli humiles hæc gloria reformabuntur; » sed hoc non est litterale, nec genuinum. *Tertio*, « corpus claritatis » vocat corpus Christi clarum et gloriosum. *Quarto*, pro *configuratum corpori*, græce est *κατασκευάζει*, etc., id est, ut fiat conforme corpori claritatis Christi. *Syrus* vertit, ut fiat in

*similitudinem* corporis gloriæ suæ. Hinc patet falsitas et stoliditas illius sententiæ hereticorum, quæ docebant in resurrectione corpus nostrum transformandum in globum, ut sit instar corporis solaris, eo quod scriptum sit: « Fulgebunt justi sicut sol; nec enim talis, scilicet rotunda, est figura corporis humani, nec talis est corporis Christi gloriosi. Unde hæc heresis Origeni ascribit, eamque damnat Justinianus Imperator in sua *Constit.* quam recitat Baronius, tom. 3. anno Christi 538, pag. 289, 293.

*Nota*: Apostolus configurationem vel conformationem hæc ponit in claritate, id est in gloria, q. d. Corpus hoc nostrum, quod æque ac corpus Christi hic ateritur, famet, friget, aestuat, inflammatur, verberatur, flagellatur, laniatur, flet per hæc passiones in resurrectione gloriosum et simile corpori glorioso Christi. Unde exclamant Chrysostomus: Pape, ait, illine qui ad dexteram Patris sedet, conforme fiet hoc corpus? Illi, qui adoratur ab angelis; illi, cui adstant incorporales ille virtutes? Illi, qui est super omnem principatum, potestatem et virtutes, illi conforme fiet? Si ergo lotus orbis lacrymis sumptis eos delleret, qui ab ista spe deciderunt, num digne collacrymaretur; quod, cum promissio vobis sit facta, corpus nostrum futurum ita glorioso Christi corpori conforme, illi cum demonibus abeant? Et S. Bernardus, serm. 2 *De Verbis Isaie*, citans hunc Apostoli locum: « Quid adhuc, ait, murmuras, caro misera, quid adhuc recalcitras, et adversus spiritum concupiscis? Si te humiliat, si te castigat, si redigat in servitutem, id profecto in tuo genere non minus tua interest quam ipsius. Quid eis invides, qui de operibus vermium et murium pellibus, gloriam plane gloriam mendicare non erubescunt, cultu indigno vivis, interdicto et mulieribus, semetipsos dehonestantes potius quam ornantes? Reformant ipsi, aut magis certe deformant corpora sua: te, si fueris corpus humilitatis, reformabit idem artifex qui formavit. Illam (si non desipis) præstolare manum, ut quod fecit, ipse reficiat. »

*SECUNDUM OPERATIONEM, QUÆ ETIAM POSSIT SUBJICERE SIBI OMNIA.* — Causam dat hujus transformationis, potentiam scilicet, ac potentem Christi operationem, qua potens est subjicere sibi omnia si omnia, ergo et corruptionem et mortem, q. d. Christus dominatur mortis et vite, omnibusque que in celo et in terra sunt; ergo facile ipsi est, ut suo jussu faciat corpora nostra corrupta resurgere ad immortalitatem et gloriam. Ita Chrysostomus.

Centro  
cabine  
Clausu  
in clau  
tate, et  
est ad  
ria.

## CAPUT QUARTUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Hortatur ad concordiam, gaudium, orationem, modestiam, pacem, honestatem, omnemque sanctimoniam. Secundo, vers. 10, laudat eorum erga se curam et sollicitudinem, ac munera sibi missa, docetque scire se abundare, et penuriam pati.*

*Ac denique, vers. 19, vicissim eis bene precatur, eosque salutat.*

1. Itaque, fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea: sic stete in Domino. 2. Evodiam rogo et Syntichen deprecor, id ipsum sapere in Domino. 3. Etiam rogo et te, germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente et cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vite. 4. Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete. 5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est. 6. Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione et obsecratione, enim gratiarum actione petitiones vestras immotescent apud Deum. 7. Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu. 8. De cætero, fratres, etiamque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. 9. Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc agite: et Deus pacis erit vobiscum. 10. Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refluistis pro me sentire, sicut et sentiebatis. occupati autem eratis. 11. Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. 12. Scio et humiliari, scio et abundare (ubique et in omnibus institutus sum); et satiari, et escivire; et abundare, et penuriam pati. 13. Omnia possum in eo, qui me confortat. 14. Verumtamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ. 15. Scitis autem et vos, Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli: 16. quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis. 17. Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. 18. Habeo autem omnia et abundo: repletus sum, acceptis ad Epaphroditum quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo. 19. Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum secundum divitias suas in gloria in Christo Jesu. 20. Deo autem et Patri nostro gloria in sæcula sæculorum: Amen. 21. Salutate omnem sanctum in Christo Jesu. 22. Salutant vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt. 23. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

1. ITAQUE, FRATRES MEI CHARISSIMI ET DESIDERATISSIMI. — *Charissimi* sibi imbutura, id est, ut Valabius, dilecti et desiderati; vel, ut Erasmus, amabiles et desiderabiles.

GAUDIUM MEUM, ET CORONA MEA. — Vocat Philippenses « gaudium » sum et « coronam » metonymice, quia scilicet erant causa et obiectum sui gaudii et coronæ: gaudebat enim Paulus videns eos a se conversos in fide et virtute persistere ac crescere, et ex labore, quem in illis convertendis et perficiendis impenderat, ac etiamnum impen-

debat, sperabat a Deo accipere coronam gloriæ. Ita sancti Episcopi populum suum vocabant coronam suam, eo quod populus instar coronæ vallaret Episcopum, ab eoque penderet: uti S. Cornelius Pontifex et Martyr, ut habetur in *Actis* martyrii ejusdem, a Præfeco Volusiano interrogatus, cur contra præcepta Imperatoris sui contra rempublicam litteras accepit a S. Cypriano, respondit: « Ego de corona Domini litteras accepi, non contra rempublicam: » coronam Domini vocans fidem Christum plebem, se

et Episcopos circumdantem. Ita S. Amandus moriens et ad eum consentans apparuit B. Aldegondi absentem et orantem, augusta specie, cinctus corona albatiorum; cumque illa perscrutaretur, quis ille esset reverendus, in quem ablati omnes respectent, ab angelo audivit: Hic est amabilis Deo Amandus, qui a seculo migrat ad cœlum, stipatus sanctis animabus, quas verbo et exemplo ad omnem virtutem instituit, ac proinde ab eis quasi pater colitur et cum eis ad gaudia Domini jam gloriosus ascendit. Testis est auctor Vitæ S. Gisiæni, cap. XII, et auctor Vitæ S. Aldegondis, cap. XVII. S. enim in hac vita parens corona filiorum cingitur, et, ut ait Sapiens, *Proverb. XVII, 6*: «Corona serum (sunt) filii filiorum»; si, inquam, paterfamilias, si princeps suorum corona stipatur, et, ut S. Job de se ait, cap. XXIX, 25: «Sedet quasi rex circumstante excreitu»: quidni parentes spirituales, qui filios in æternum victuros cœlo genuerunt, eorum corona valentur et ornantur? Hinc Apostolus Thesalonicensis, epist. I, cap. II, vers. 19, vocat suam coronam *gloriam*: qua de te libi dicam.

Sic STATE IN DOMINO, CHARISSIMI, — state, et constantes persistite in Domini Jesu Christi fide, spe, gratia, iustitia, eo modo quo in is standum esse docuit, cap. preced., et eo modo quo vos cœpisse stare gratulatus sum, cap. I, 6; ut scilicet hereticos fugiatis, nec admittatis circumlocutionem et iudaismum, sed a solo Christo Circumlocutionem lege pœnitentiæ, cum eoque vestra conversatio sit in cœlis, eundem salvatorem reducere e cœlis expectatis, ut vos sibi in resurrectione configuret. «*Et sic*» ergo, id est perseverate; nam, ut ait S. Bernardus, epist. 129 ad Gemones: «Sine perseverantia nec obsequium mercedam habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudinem.» Vir justus est quasi cubus, qui ad omnem fortune motum rectus firmusque consistit, ait Simonides. Stat ergo in Domino, qui vere cum Paulle dicere potest: «Mihî autem adhærere (Græce *συνεπιβαίνω*, id est *agglutinari*) Deo bonum est,» *Isaï. LXIII, 28*. At quo vinculo, quo glutino agglutinamur Deo? Respondet S. Bernardus, *De Triplici colubante*: «Tria sunt vincula quibus et astringimur, et primum accipite funes, secundum clavos ligneos vel ferreos, tertium gluten. Primum astringit fortiter et dure, secundum fortius et durius, tertium suaviter et secure. Fune quodammodo alligatus est Redemptori, si quis forte dum vehementiori tentatione turbatur, proponit sibi honestatis intuitum, memoriam promissionis, et hoc interim se fune retinet, ne propositum penitus arumpatur: eorum profecto vinculum et molestum, sed et periculosum nimis et quod diu tenere non possit, siquidem putrescent funes, et pudoris vinculum aut obliviscitur, aut abrumplimus cito. Est autem qui clavus configitur non ino majesticis, quem timor Dei ligat, qui non expavescit ad vultus hor-

num, sed ad memoriam gehennalium tormentorum: et hic quidem peccare non metuit, sed ardere. Durus tamen et fortis primo imprimitur; quia cum ille vœllet in proposito, iste propositum non amittit. Tertius vero glutine et conglutinatur, id est charitate, qui tam suaviter quam secure ligatus, adherens Deo unus spiritus est cum eo.»

2. EVODIAN ROGO, ET SYNTYCHEN DEPRECOR (pro deprecor, græce idem est verbum quod paulo ante, scilicet *παρηγοῖο*, id est *rogo*) IDIPSUM SAPIENS IN DOMINO. — Duae hæc femine, inquit Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, primarie erant inter Christianos Philippis, quarum rem Christianam promovere satagebant. Unde de illis subdit: «Adjuva illas, que mecum laboraverunt in Evangelio.» Hortatur ergo eas Apostolus, ut ad rem Christianam promovendam idem sapiant in Domino, id est, ut concordet sint ea concordia, cujus vinculum sit Dominus. Ita Theodoretus, Theophylactus, Anselmus. Nihil enim ita turbat et impedit cursum Evangelii et pietatis, alique diversitas sententiarum et animorum in illis qui præsentur aut rem dirigunt.

3. ETIAM ROGO ET TE, GERMANE COMPAR. — Græce *ἑὸς γυναικὸς*, quod Stapulensis, Zuinglius et Erasmus vertunt, *germana conjux*: quasi Paulus hic uxorem suam compellet; illa enim græce dicitur *ἑὸς γυναικὸς*, id est ejusdem jugi (puta conjugii), sive conjux. Sed hanc sententiam refellunt Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Eusebius, imo Calvinus et Beza. *Primo*, quia, si uxorem suam intellexisset hic Paulus, potius dixisset *ἑὸς γυναικὸς*, id est *germana conjux*: jam autem masculinè dicit *ἑὸς γυναικὸς*; licet enim hoc Attici usurper subinde femininè, communiter tamen sumitur masculinè; nec Apostolus tam elegans est, ut utatur atticisimis. Ita Theophylactus.

*Secundo*, quia uxor Pauli potius habasset Tarsæ vel Hierosolymæ, quam Philippis, ait Theophylactus.

*Tertio*, quia I *Cor. VII, 7*, Paulus se annuerat inuptis. Ad argumentum respondeo, *ἑὸς γυναικὸς* significare quemvis socium, qui idem nobiscum agit, q. d. conjugalem, qui idem jugum trahit. Sic Christus apud Nonnum vocat se *ἑὸς γυναικὸς* Patris. Sic II *Cor. VI, 14*, cum Apostolus infidelibus præcipit, dicens: «Nolite jugum ducere cum infidelibus,» vetat, non tantum conjugia cum infidelibus, sed etiam ne fideles quamvis aliam arctiorem cum infidelibus societatem aut familiaritatem inean: *ἑὸς γυναικὸς* ergo hic vocat socium et collegam suum, insignem scilicet aliquem doctorem, qui secum idem traxerat jugum Evangelicæ predicationis, sicut cap. II, 23, Epaphroditum vocavit suum *συνεπιβαίνοντα*, id est *comitantem*, et Clementem aliosque hoc vers. vocat *συνεπιβαίνοντες*, id est *cooperatores* suos. Ita Theodoretus, Haymo, Anselmus. Unde Valabius putat Paulum hoc

Verba 3.

ἑὸς γυναικὸς

id est socium

predicationis

Christi

est ἑὸς γυναικὸς

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

Refellitur

tor.

domine destinare Epaphroditum: verum quia Epaphroditus non Philippis erat, sed Romæ apud Paulum, hasque Pauli litteras detulit ad Philippenses, verius est Paulum aliquem alium designare, quem hoc titulo et nomine *ἑὸς γυναικὸς* satis agnoscebant Philippenses. Chrysostomus tamen putat *ἑὸς γυναικὸς* hic intelligi Maritum, vel certe fratrem Evodiam aut Syntycheas. Eusebius, Tyrannus et auctor Commentarii in hanc epistolam, qui extat apud Hieronymum, et hos secutus Dionysius Carthusianus, putant *ἑὸς γυναικὸς* esse nomen proprium viri, quod hic *ἑὸς γυναικὸς* sit appellatus. Nihil ergo hic est, quod suadeat Paulum fuisse conjugatum. Mirum est Catharum hic asserere, in *Revelationibus* S. Brigitte haberi, quod Paulus fuerit maritus, adnotique juxta aliquos Pauli conjugatam Phœben fuisse appellatam, de qua *Rom. XVI, 1*. Nam proterus contrarium habetur, lib. II *Revelat. eius*, cap. VII, et lib. VIII, cap. I. **ALTEVA ILLAS (Evodiam et Syntycheas) QUÆ SECUM LABORAVERTUNT IN EVANGELIO.** — Græco *συνεπιβαίνοντες* hoc, id est que mecum athleticè decurrant pro Evangelio.

Cum CLEMENTE. — Hic est Clemens Romanus, discipulus SS. Petri et Pauli, qui Petro post Linum et Cletum in pontificatu successit.

QUORUM NOMINA SUNT (scripta) IN LIBRO VITÆ. — Nota: Liber hebraice vocatur catalogus «vitæ», id est viventium, sive eorum qui conscripti sunt ad vitam æternam: hic autem catalogus extat in mente præsentia et prædestinatione Dei; hæc ergo *συνεπιβαίνοντες* dicitur liber, sive catalogus Dei, in quo Deus omnium justorum, qui in iustitia perseverant et in gratia moriuntur, nomina quasi descripsit, ut eos vita et corona æterna donet, ait Theophylactus. Sic enim apud homines, qui ad aliquod munus aut dignitatem eliguntur, conscribuntur in libro, uti milites et senatores, qui inde dicti sunt Patres conscripti, ut ait D. Thomas. Unde hebraice *ספר החיים*, tam librum viventium, quam librum vite, significat. Pari modo eadem mens, præsentia et approbatio Dei, dici potest liber mortis, in quo Deus omnes qui in peccato moriuntur, describit, ut æterna eis morte puniat. Ita Theophylactus, licet D. Thomas non admittat librum mortis, sed tantum vite, eo quod hujus nominis, non illius, meminit Scriptura, et quia Deus, cujus naturæ est bonitas, per se ordinat et conscribit suos ad vitam, ad mortem vero non per se, sed quasi coactus malitia et peccatis, impios destinat et transcribit.

Nota: Primus qui meminit libri vite, est Moses, *Exodi XXXII, 32*: «Aut, ait, dimitte eis hanc noxam (adorationis vitæ), aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.» Deinde David, *Psal. LXXVIII, 39*: «Deleantur de libro viventium.» In novo vero Testamento, illius meminit Christus *Luce x, 20*, Paulus hic, et S. Joannes *Apocal. XX, 15*.

Nota secundo, duplici modo homines describitur «in libro vite.» *Primo*, absolute et complete: ita scribuntur omnes et soli illi, qui in gratia moriuntur, ideoque electi sunt ad vitam æternam. *Secundo*, inchoate tantum: ita scribuntur in libro vite justi omnes, qui adhuc in vita huc tantum cum mundo, carne et demone, ut, si in iustitia perseverent, complete scribantur in libro vite, elegantique et perveniant ad vitam æternam: si non perseverent, deleantur de libro viventium, ut ait David *Psal. LXXVIII, 29*. Hoc secundo modo dicit Paulus Clementem et alios suos adiutores adhuc viventes, scriptos esse in libro vite: nec enim vult eos tamino certos reddere de sua perseverantia, saltem de electione ad gloriam, cumque Philippensibus omnibus revelare; nec rursus vult dicere, se accepisse a Deo revelationem de hæc ipsorum salute et gloria; sed tantum ipsos quoad præsentem gratiæ statum inchoate ipsos esse in libro vite. Vide dicta *Ephes. I, 3*, et cap. XIII.

Alio sensu *Ecclesi. XXIV, 32*, «liber vite» vocatur ipsa Scriptura sacra, sive liber legis et Prophetarum: sic enim ibi dicitur: «Hæc omnia liber vite, et testamentum Altissimi; et agnitio veritatis. Legem mandavit Moyses in præceptis iustitiarum, et hereditatem domui Jacob, et Israel promissiones.» Cuius loci hic est sensus: Hæc omnia que jam dixi de sapientie dignitate, utilitate et fructu, subdistinguit et præstat liber vite, id est liber legis et Prophetarum, quem si serves, pertinges ad vitam æternam; qui liber est etiam testamentum Dei continens extremam et summam eius voluntatem, et pactum cum hominibus, adeoque est ipse agnitio veritatis; liber, inquam, legis, quam mandavit Moyses, dando præcepta iustitiæ, que essent quasi hereditas perpetua Israeli, eique promitterent hereditatem terram Judææ in hac vita, et regni cœlestis in futura. Dicitur ergo Scriptura sacra «liber vite,» quia continet tam promissiones vite presentis et æternæ, quam præcepta ad vitam hæc consequendam opportuna et necessaria.

4. GAUDETE IN DOMINO SEMPER: IRRERUM DICO, GAUDETE. — «In Domino.» in afflictionibus propter fidem et Dominum terentis, ait Chrysostomus et Theophylactus: sed hoc arctius est. *Secundo*, ergo genuine et adæquate: «Gaudeo in Domino,» id est in Domini fide, gratia, religione, spæ, præmio, quod vobis promisi, q. d. Gaudeo, non quia divites estis, nobiles, sapientes, sed quia estis Christiani, quia Dominum habetis Christum, qui vos a morte redemit, sua gratia cumulavit, ad cœlestem gloriam vocavit; gaudeo, inquam, semper, tam tempore adversitatis, quam prosperitatis; tam persecutionis, quam pacis. «Irrerum dico» et repeto, «gaudeo in Domino,» id est, in obsequio, protectione et promissis tanti Domini, qui lex est regum, et Dominus dominantium. «Gau-

Duplici modo scribitur in libro vite, primo absolute, secundo inchoate.

Liber vite vocatur que Scriptura.

Quid sit gaudere in Deo.

dete, ait Anselmus, non in saeculo, sed in Domino; sicut enim nemo potest duobus dominis servire; sic nemo potest et in Domino et in saeculo gaudere; contraria enim sunt haec duo gaudia: nam saeculi gaudium est impunita nequitia. Luxuriantur homines, fornicantur in spectaculis, nungentur in ebrietas, ingurgitentur turpitudine, et ista mala non impediuntur, non aliquis morbus, non aliqua adversitas; sed sunt omnia redundantia in pace carnis, in securitate mentis, et videte saeculi gaudium. Et ideo non in saeculo gaudete, sed in Domino, id est non in iniquitate, sed in veritate, non in flore vanitatis, sed in spe aeternitatis. »

Et S. Bernardus, serm. 4 in *Vigil. Natalit.*: « Gaudete, ait, in Domino semper, iterum dico, gaudete, Gaudete de exhibitione, iterum gaudete de promissione, quoniam et res plena gaudio, et spes plena gaudio est. Gaudete, quia jam percipistis dona sinistrae. Gaudete, quia jam expectatis praemia dexterae. *Leva*, inquit, ejus sub capite meo, et dextera ipsius amplexabitur me. *Leva* quidem levat, dextera suscipit. *Leva* medetur et justificat, dextera amplectitur et beatificat. In *leva* ejus merita, in dextera vero praemia continentur. In dextera, inquam, deliciae, in *leva* sunt medicinae. »

Querit S. Basilius, interrog. 193 in *Regul. brev.*: « Cujusmodi est gaudium, quod est in Domino? et quid est, quod facientes gaudere debeamus? » ac respondet: « In his quae secundum mandatum Domini sunt gaudere, est in Domino gaudere. Quocirca quaecumque mandata Dei exequimur, aut propter nomen Domini aliquid patimur, gaudere et gratulari inter nos debemus. »

Hoc gaudium homini Christiano utile, imo necessarium est, ut jucunde vivat et alacriter in virtutibus pergat, ut opera heroica faciat, ut tristitias et diffidentias, quas vel natura, vel demon suggerit, et tentationes omnes superet. « Una, ait S. Antonius apud Athanasium, una, inquam, est ratio vincendi inimicum, laetitia spiritualis, et anime Domini semper cogitantis jugis recordatio, quae demonum ludos quasi fumus expellens, persequatur adversarios potius quam timebit. »

Et sane Christianus non unam, sed multas habet gaudii materias et causas, nimirum tot, quot tum communia, tum particularia a Deo accepit beneficia, vel se accepturum sperat et expectat; ac praesertim si cogit vitam aeternam sibi in caelo a Deo preparatam, quomodo non omnem tristitiam excutiat? Delectaberis, ait *Isaia* LVIII, 14, super Domino, et sustollam te super altitudines terrae, et cibabo te haecditate Jacob patris tui. » Ita magnus ille Apollo, apud Palladium, in *Lausaca*, cap. III, suos illos in eremo fratres, licet solitarie et austere admodum viventes, excitabat ad perennem laetitiam spiritus, ut de eis dicat

Palladius: « Licet eos videre exultantes in solitudine, adeo ut nullam ejusmodi exultationem in terra videre liceat, nec laetitiam corpoream: neque enim erat inter eos aliquis maestus aut tristis. » Addit deinde modum et rationem, quae eis Apollo hanc laetitiam ingerebat: « Si quis, ait, videbatur praese ferre tristitiam, statim pater Apollo ex eo rogabat causam, et quae erant in oculo uniuscujusque cordis renuntiabat. Dicebat autem: Non oportet nos esse tristes propter salutem, cum futuri simus heredes regni caelorum: tristes erant Gentiles, flebunt Judei, luxuriant peccatores; justi autem letabuntur, et qui terrena quidem animo agitant, letantur in rebus terrenis; nos autem qui tanta spe digni sumus habitum, quemadmodum non letamur perpetuo? cum nobis Apostolus suadeat, ut semper letamur, et oremus sine intermissione. » Haec tunc Apollo.

Et hoc est, quod ait Apostolus: « Gaudete in Domino. » Querit S. Basilius *h. m.* 4 ex 20 *variis*, quae est de gratiarum actione, quomodo Christianus inter tot miseria, infortunia et adversitates hujus vite semper possit gaudere: ac respondet: « Anima, ait, quae semel se modis omnibus desiderio astrinxit sui conditoris, jamque insuevit oblectare se tanta illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sine vehementer illud gaudium animique sui jucundissimum diffusionem interire aut immolari per multiplicem et succedaneam carnalium affectionum mutationem: quin ea potius, quae aliis mororem afferunt, in cumulum sibi vertit et accessionem laetitiae. Cujusmodi erat Apostolus, dum sibi probe admodum complacere in infirmitatibus, in tribulationibus, in persecutionibus, in necessitatibus, egestatem suam in gloriam et exultationem permutat. »

Et Chrysostomus, hom. 18. *ad Pop.*, eidem questionati respondet, ut doceat nautas, mercatores et quoslibet homines ex omni suo labore gaudium querere, nec tamen invenire: Paulum vero gaudii fontem et thesaurum notat. aperire: « Non enim, inquit, simpliciter dixit: Gaudete semper, sed addit continue voluptatis causam subdens: Gaudete in Domino semper. In Domino gaudens ex accidente nullo haec voluptate exidere potest: alia nempe cuncta, in quibus gaudemus, mutabilia sunt, nec tantam nobis afferant voluptatem, ut ex aliis nascentem tristitiam expellant et obumbrant: Dei vero timor hae habet utraque; stabilis enim est et immotus, atque tantam emittit laetitiam, ut nullus nos aliorum malorum sensus capiat. Deum enim sicut oportet timens, et in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est et omnem habet laetitiae fontem. Et sicut in immensum mare decidens scintilla brevi facie extinguitur, sic quaecumque Deum timente illudantur, veluti in vastum laetitiae pelagus incidentia extinguuntur atque perduntur. Et revera hoc est

Morale, quam laetitia Christiani consistit in fide. Ex sententia S. Augustini.

Quomodo Christianus in singulis adversis se ad gaudium excitet?

Quomodo Christianus in singulis adversis se ad gaudium excitet?

maxime infirmitate, quod, cum adsit quae contristare solet, permanet ipse gaudens. » Et infra, quod sancti semper gaudent in quantavis afflictione, ita per singula discurrere, demonstrat dicens: « Sit enim aliquis nihil in se damnandum habens, sed bona fretus conscientia, et ad futura anhelans, et expectans illam beatam spem, quid hunc, quae, poterit in tristitia inducere? nam *primo*, omnibus rebus intolerabilior mors esse videtur: sed hujus expectatio non tantum ipsum non contristat, sed et delectat; novit enim quod mortis praesentia, malorum est liberatio, et cursum ad beatas. *Secundo*, sed finium acerba mors. Verum et hoc generose fert dietque Job verba: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. *Tertio*, quod si filiorum mors non potest contristare, multo minus et pecuniarum jactura, et accusationes, et calumnia, tam magnum et generosum animum tangere possunt, neque corporis dolores. Quoniam Apostoli flagellabantur et gaudent a conspectu oculi, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. A Christo in contumeliis gaudere instituti sunt: Gaudete, ait, et exultate, cum dixerint omne malum mentientes adversum vos, quoniam merces vestra multa est in caelis. *Quarto*, sicut in morte incidit. Verum audivit alium admomentem et dicentem, quoniam sicut in igne probatur aurum, sic homines acceptabiles in fornace humilitationis. Cum igitur neque mors, neque pecuniarum jactura, neque corporis aegritudo, neque ignominia, neque coartum, neque quippiam ejusmodi ipsum contristare possit, verum etiam magis delectet, quam unquam tristitia materiam habebit? »

5. **MODESTIA VESTRA NOTA SIT OMNIBUS HOMINIBUS.** — *q. d.*, ait Anselmus: In Domino, ut dixi, sit gaudium vestrae mentis: sed homines videant modestiam vestrae conversationis, ut vestro exemplo discant modeste agere. Paulo aliter haec connectit S. Bernardus, serm. in illud Apostoli, Non est regnum Dei esca et potus. Ait enim: « Duplex est gaudium quod habes in Spiritu Sancto, scilicet *primo*, de memoria futurorum bonorum; *secundo*, de malorum praesentium tolerantia. Nil quippe in his carnale sapit, nil saeculare, nil vanum, sed spiritus veritatis et celestis sapientiae est, cuius in utraque suavitas praebatur. Gaudete in Domino semper, ait Apostolus, iterum dico, gaudete. Et duplicis huius gaudii materiam secutus adjunxit: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim prope est. Quid modestia, nisi mansuetudo et patientia est? Gaudemus ergo de his quae expectamus: quoniam Dominus prope est. Gaudemus iterum de his quae sustinemus, ut modestia nostra omnibus nota sit. Nimirum tribulatio patientiam operatur, patientiam probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. »

Præclare Ciero, et ex eo S. Augustinus, lib.

*De Beata vita*: « Modestia, inquit, utique dicta est a modo, et a temperie temperantia. Ubi autem modus est atque temperies, nec plus est quidquam, nec minus. » Et inferius: « Modus ergo animi sapientia est. » Et mox: « Si autem queritis quid sit sapientia? nihil est aliud quam modus animi, hoc est quod sese animus librat, ut neque excurrat in nimium, neque infra quatuor plenum est, coarectetur. » Et paulo superius: « Tullius in populari oratione ait: Ut volent quisque accipiat; ego tamen frugalitatem, id est modestiam et temperantiam, virtutem esse maximam iudico. Frorsus doctissime ac decentissime. » Eleganter vir sapiens rogatus: « Quid est rosa? ait: est purpura veris. Quid est modestia? ait: est purpura virtutum. » Nulla enim purpura cardinalium aut regem ita decorat, uti modestia exornat virtute praeditum. Modestia ergo virtutes ceteras quasi virgines regis regio habitum illustrat. Unde Euripides, in *Medea*, modestiam vocat « donum pulcherrimum deorum. » Nam, ut ait Hugo Victor, « habitus mentis in corporis statu cognoscitur, itaque vox quondam animi est corporis motus. » Hinc S. Augustinus in *Regula* ita sanxit: « In omnibus motibus nostris nil fiat, quod cuspisiam offendat aspectum, sed quod nostram deceat sanctitatem. »

Nota: Pro modestia, graece est *εὐπειθία*, quod *primo*, significat equitatem; *secundo*, humanitatem; *tertio*, moderationem animi, quae etiam adversa, persecutiones, injurias et hostes ipsos moderate ferimus et toleramus. Sic accipiant Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, quasi velit Paulus, ut Philippenses contra Gentiles aliosque se persequentes et affligentes non excederent, non indignantur, sed per animi moderationem omnia quantumvis dura patienter ferant, et erga hostes suos mansueti sint, benigni et placidi. Sic sensus valde appositus est huic loco, personis et temporis.

*Quarto*, *εὐπειθία*, significat modestiam, ut vertit Noster, quae virtus est ponens modum actionibus externis, nimirum quae moderatur verba, incessum, habitum, omnemque gestum et motum tum in mensa, tum in plateis, tum in templo, tum in scholis, tum quolibet alio loco. Vide dicta *Galat.* v, 23.

Vult ergo Apostolus ut Christiani modestiam omnibus exhibeant, quae interiam animi moderationem testetur, quaque alios allicit ad christianitatem et suam modestiam imitantiam.

Ita nimirum S. Bernardus sua specie et morum compositione, omnes ad Dei amorem et vite puritatem invitabat. Nam, ut ait auctor *Vita ejus* lib. III, cap. 1: « Apparebat in carne ejus gratia quaedam spiritalis; in vultu claritas praefulgens non terrena, sed caelestis; in oculis angelica quaedam puritas et columbina simplicitas radiabat; tanta erat interioris ejus hominis pulchritudo, ut evidenter quibusdam indicis foras erumperet

Emendat quatuor similitudines, quatuor, humanitatem, tertio, moderationem animi.

Quarto modestiam.

Modestia est gratia S. Bernardi.

et de curulo interne puritatis et gratie copiose perfluit homo quoque exterior videtur. »

Hae modestia excellit quoque S. Malachias, Episcopus Hibernie, qui nullum membrum sine ratione movet, ait S. Bernardus in ejus Vita. Et S. Lucianus, presbyter et martyr, qui solo suo aspectu modesto, hilari et pio, multos ad Christum convertit. Tanta enim erat in eo vultus serenitas, suavitas, lux, ut radios vibrare videretur; tanta morum sanctitas et decor, ut angelus videretur, non homo; nempe eum intueri posset, quin fidei et Christi amore incenderetur; adeo ut Galerius Maximianus imperator, acerrimus Christianorum hostis, non audeat eum coram intueri. Audi auctorem Vitae, et ex eo Bernardus, anno Domini 311 : « Vita de Luciano a multis audire Maximianus, tanta, in ejus facie insidie reverentiam, ut, si eum solum vidisset, veniret in periculum non fletet Christianus; postquam jussit ut ille adduceretur, timens ne sibi tale quid accideret, velo interjecto separat sermonis congressionem, et verba procul ad eum emittit, intermedio utens sermonis ministro. » Quocirca merito Auctor Comm., lib. II in Job apud Origenem (Origenes enim esse neguit, utpote qui Lucianum multis annis antecesserit), agens de gloriosa Luciani vita et martyrio : « Ita, ait, consummatus est beatus atque gloriosus Lucianus, lucidus vita, lucidus et fide (lucidus et modestia, aequae vultu), lucidus etiam tolerantiae consummatione. Ob hoc enim Lucianus cognominatus est tanquam lucidus, aut proprio lumine sibi fulgens, aut aliis preluens. » Porro causam et fontem tante modestie in Luciano indicat auctor Vitae, dum initio ejus primam aetatem ita describit : « Plurimum vite suae tempus impendebat precibus et lacrimis. A scrupulitate et risu tantum aberat, quantum judicabat ea esse vere ridicula. Contra autem eos qui legebant, studebat imitari, et existimabat esse dignos beatitudinibus. Silentium autem amplexus, et assidue deditus meditationi, videbatur semper cogitandus et tristitia plenus iis qui ad eum accedebant, etiam si spiritu in se perpetuo exultaret et letaretur. Si quando autem verbum ei ex ore visum esset emittere, divinae Scripturae erant id quod loquebatur. Tantis enim eorum divinis amor ipsum ceperat, ut vix somnum vellet capere propter continuam eorum meditationem : » unde et Bibliorum editionem Graecam ex Hebraeo textu confecit, quae Lucianica est dicta. Haec prima ejus pietatis rudimenta animam a terrenis avulerant, et rebus divinis imbuerant, ut Deo plenus divinum quasi vultum moresque divinis indueret.

Pulchre quoque S. F. phrem hujus modestie et temperantiae, ut ipse vocat, actus particulares quaeversum describit, lib. De Virtutibus et Vitiis, cap. De Temperantia et Continentia, dura ait : « Temperans modestie ratio linguam temperat a conviciis, et exactionibus abstracta, non de-

lectatur vaniloquio, unum in alterum calumniando et obtractando non commovet : secreta celat, et silentio aliena contegit. Temperans in auditu dicitur, qui aures rebus inanibus et maledicis non accommodat. In oculis, qui non passim que oblectare possunt, aut qua nefas est videre, respicit. Animo temperans est, qui sic eum regit, ut non efflorat iracundia, nec cito exacerbetur. In gloria modestia cernitur, quando quis ita mentem moderatur, ut nec honoribus, nec dignitatibus, nec laudibus aecupandis vincatur. In cogitationibus, cum quis timore Dei blandas ardentisque cogitationes reprimat. In cibis, quando nec delicatioribus quis delectatur, nec extra praefinitum edendi tempus cibum appetit, horamque anticipat, nec capum videntem et pulchritudinem avidè requirit. In potu, quando non immodice non solum vino, sed nec aquae quidem potu fruatur. » Haec ille. Brevius S. Bernardus, epist. 113 : « Disciplina, aq. mentem et corpus componit, cervicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, format incessum. » Et alius Doctor : « Sales, inquit, sint sine dente, joci sine vilitate, vox sine clamore, incessus sine tumultu : pauca loquere, plus cogita, pudore te arma, vultu terram aspice, caelum animo. »

DOMINUS PROPE EST. — Aliqui vocem enim addunt; sed nec Syrus, nec Graeca, nec Latina correcte illud habent, et sine eo sensus est planior : vult enim Apostolus dare stimulum generalem tam ad modestiam et gaudium quod praecessit, quam ad quietem animi, orationem aliasque virtutes, quas subiungit.

Stimulus hic est, si cogitemus quod Dominus prope sit : jam sensus est, « Dominus prope est, » id est, Christus judex appropinquat, ut conspiciat, succurrat et adjuvet nostram patientiam et modestiam, ita Anselmus. Secundo et genuine, « Dominus prope est, » id est, Christus judex appropinquat, ut veniat ad iudicium, ut coronet nostram patientiam et modestiam, ut gaudium nostrum compleat, utque Lotum nos persequenti injurias vindicet et puniat.

6. NIHIL ERGO SOLLICITI SITIS. — q. d. Non ergo vos angat sollicitudo honorum temporalium aut malorum, sive bonis spoliemini, sive exilio mulctemini, sive morbis aliive infortuniis affligamini; quia pro his omnibus Dominus propediem adveniens, aeterna vobis bona conferet. Ita Chrysostomus, Theodoretus et Theophylactus.

Nota : Potest hic locus intelligi de iudicio particulari, q. d. Prope est finis vite nostrae, utpote brevissima, brevi enim moriemur, et consequenter prope est iudicium particulare, et prope est Dominus, qui in illo preses et judex nos iudicabit.

Secundo et melius, accipias de iudicio universalis : de illo enim ita solet Apostolus loqui quasi

instaret et vicinum esset, ut illud semper pro oculis habeat Christifani, ad illudque se comparent. Unde diem iudicii universalis solet Apostolus vocare diem Domini; prope est ergo Dominus, quia prope est finis mundi et dies iudicii universalis, quod Dominus exercebit coram toto mundo; prope, inquam, est respectu longissima praesentiae et aeternitatis Dei, in qua mille anni sunt lanquam dies hesternae quae pertransiit, q. d. Ergo modestiam, patientiam aliasque virtutes colite, ut in die iudicii laeti sitis et securi, utque a Christo iudice publicam laudem et gloriae coronam accipialis. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

Qua de re pulchre idem Chrysostomus, hom. 33 in Joan. : « Instat, ait, jam tempus reddendae rationis. Ideo Paulus ait : Dominus prope est, nihil solliciti sitis, Dominus prope est, non longe a fine absumus, sed jam mundus properat; hoc bella, hoc afflictiones, hoc terrae motus, hoc extincta charitas significat. Quemadmodum enim corpus jam adventante morte innumeris malis afficitur, et domus prope casum in ruinas fatiscit : ita orbis terrarum ad finem properans tantis undique malis conteritur; nam si Pauli temporibus Dominus prope erat, nunc profecto propior est. Si ante trecentos annos finem temporum Paulus esse dixit, quid nunc dicendum est? » Adhuc deinde diem iudicii uti vicinum, ita et subitum ac improvisum adfore, dicens : « Cobebeamus igitur affectus nostros, exerceamur in Dei timore; etenim nobis licentia perditis, nihil late expectantibus ex improviso Dei adventus aderit. Quod his verbis Christus significat : Sicut factum est in diebus Noe, sic erit, etc., ut Paulus : Cum dixerint : Pax, securitas, tunc repentinus eis supervenit interitus : sicut dolor in utero habentis. Saepe gravidæ mulieres inter eundem et ludendum, dum balneis, dum spectaculis oblectantur, repentinis torquentur doloribus : hac et nos in hac vita conditione versamur. Simus ergo semper parati. »

IN OMNI ORATIONE ET OBSECRATIONE, CUM GRATIARUM ACTIONE, PETITIONES VESTRE INNOTESCANT APUD DEUM. — Nota, quod omni non posse referri ad orationem : nam in Graeco est discordantia generis; *parati enim, id est animi, est masculini generis; *prope vero, id est oratione, est feminini. Unde *Ueumenius et Graeci in *parati, subaudiunt *prope, id est in omni, subaudi, re et negotio, de quo solliciti estis. Syrus in *parati, subaudit *prope, id est in omni tempore, hoc est semper. « Oratione, » id est, per orationem et instantem ac ferventem obsecrationem junctam cum gratiarum actione (hæc enim oratio et obsecratio Deo grata est, Deique gratiam et opem provocat, quae ab animo grato proficiscitur et gratiarum actione conditur), petitiones vestras notas facite et exponite Deo, ut ejus opem flagitetis et impetretis.*******

7. ET PAX DEI QUAE EXSUPERAT OMNEM SENSUM. —

ut scilicet nos iudicium iudicium.

instare diem iudicii dicitur et s. Chrysostomus.

Primo, « Pax Dei, » inquit Chrysostomus et Theophylactus, est reconciliatio quam fecit Deus cum hominibus, quando olim eis iratus jam per Christum factus est placatus. Unde Christus dicitur « pax nostra, » id est causa pacis, Ephes. II, 14. Hanc pacem Prophetae et Angeli Christo nato occurrerunt canentes : « Gloria in excelsis Deo, etc. in terra pax hominibus bonae voluntatis. »

Secundo : « Pax, » inquit Anselmus, qua in seipso pacatus et quietissimus est Deus, cuius natura est pax, ait Ambrosius, custodiati corda vestra, eisque pacem suam communicet; Deus enim increata est pax, cuius participatione pacificentur angeli et homines.

Tertio, alii intelligunt pacem cum hominibus et injuriarum oblivionem, ac qua *Ueumenius et Chrysostomum in moral. hom. 14.*

Quarto et optime, Ambrosius : « Pax, » inquit, quam habet anima sancta cum Deo, est tranquillitas conscientiae; et quae exsuperat omnem sensum, » graeco *πᾶσι*, id est intelletum, q. d. Intellectum non potest, qualis et quanta haec sit pax.

CUSTODIATI. — Graeco *εἰρησίν*, id est custodiet, quasi Paulus promittat eis hanc custodiam, ejusque fiducia eos animet. Verum Optime Noster variet, « custodiati : » Hebraei enim saepe futurum sumunt pro optativo, quo carent, illudque exigit copula et, nimirum ut necat eadem tempora et modos. Cum ergo modus optandi praecesserit, videlicet, « nota sit, stit, innotescant, » sequitur et hic eodem modo pro optativo esse verendum : omnia enim et praecedentia et sequentia sunt optantis. Jam « custodiati, » id est, instat custodiae militaris contra omnes hostes tueratur; *εἰρησίν* enim significat custodiam qua obsessis civitatibus adhiberi solet.

CORDA VESTRA (id est voluntates vestras, ne a fide, iustitia, virtute, ulla tentatione, nulla persecutione, divelli vos sinatis) ET INTELLECTUS VESTRUS (id est intellectus vestros, ne in errorem aliquem contra fidem, aut in iudicium aliquod praedictum erroneum et bonis moribus adversum abducamini) IN CHRISTO JESU, — id est, per Christum, ait Ueumenius. Secundo et melius, « in Christo, » ut scilicet « in Christo, » id est in Christi fide et confusa maneat et crescatis, itaque aeternus Christo conjugamini.

Nota : Paulus hic suggerit Christianis, ut omnibus hostibus suis pacem opponant quasi scutum impenetrabile, quia revera haec pax elidit omnes suggestiones demonum, carnis et mundi : imo omnes tyrannorum minas et tormenta superat. Unde S. Tiburtius martyr, cum Torquati tyranni et carnificis tormenta omnia contempserat, causam hujus contemptus et magnanimitatis subiunxit, dicens : « Omnis nobis vilis est pena, ubi pura comes est conscientia; » nimirum :

Hic murus athenens esto, Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Pax sentit quo omnia hostium tela diducunt.

Vilis est pena, ubi pura comes est conscientia.

Vide ea quae dixi *Timoth.* 1, 5. Hinc est quod omni studio diabolus hanc nobis pacem eripere conatur, sollicitando nos ad peccata: vel certe cum turbare, immitiendo scrupulos, diffidentias, merores, tentationes.

Nota secundo: Hae pax prima, serenitatem menti inducit; secundo, letitiam: secuta enim mens est quasi iuge convivium; tertio, confidentiam, et ex ea magnanimitatem; qui enim scit se pacem habere cum Deo, se esse in Dei gratia, imo Dei amicum et filium, se Deum habere patrem; patrem, inquam, amantissimum, qui summam filiorum suorum et curam et providentiam gerat, omnique re faciat cooperari in bonum, ad majus gratiae et gloriae meritum: qui, inquam, hanc serio cogitat et perpendit, hic Deo totus confidit, illi se suaque omnia committit, nec dubitat quin Deus se et suas actiones diriget et prosperabit, sequere contra hostes et tyrannos quantumvis ferocissimos tutabitur. Hic ergo certus de Dei patris sui tutela et directione paterna in ea conquiescit et securus indormit, dicitque:

Etiamsi fractus illabatur orbis,  
Impavidum serient ruinae;

nemo me laedet, nisi prius Deum laeserit vicerritque.

Nota tertio: Pax haec et confidentia facit nos demonibus omnibusque hostibus, non solum inexpugnabiles, sed et terribiles ac formidabiles. « Quis enim, ait Ambrosius, non metuat eum, quem scit De esse amicum, qui Deum habet protectorem, omni vindicem, pro quo Deus pugnat, ut eum triumphare faciat? Il *Corinth.* II, 14.

S. DE CÆTERO, FRATRES, QUaecumque sunt vera, — id est sincera et aliena ab hypocrisis: vel generalius, ut hoc primo epitheto cætera omnia sequentia complectatur, quae deinde speciatim explicat, « quaecumque sunt vera, » veritate vitae, id est conformia Christianae legi, professioni et perfectioni. Unde Theophylactus: « Vera, » inquit, id est virtutibus praedita: omne enim vitium est mendacium, inquit Chrysostomus.

QUaecumque publica, — *κτῆρᾶ*, id est gravia, severa, honesta, verecunda. Ita Syrus, Theophylactus, Erasmus, *q. d.* Quae talia sunt ut sancta quaedam gravitate vos exornent: haec enim et pudica sunt. Impudica autem levitate et leves gestus amant, sanctimoniaeque fugiunt. S. Ambrosius vertit, *magnifica*.

QUaecumque sancta. — Legit noster Interpretes *κατὰ*, jam legunt *ἁγία*, id est casta, nisi dicas sanctitatem hic, uti et alibi, significare castitatem, uti I *Cor.* VII, vers. 34, de virgine dicitur: Ut sit sancta, id est pura et casta, corpore et spiritu. Opponit, inquit Chrysostomus, castitatem Paulus istis, quorum Deus venter est, de quibus cap. praeced.

QUaecumque amabilia. — *ἀγαπῆ*, id est quaecumque ad amicitiam, concordiam et benevolentiam aptandam, aut promovendam sunt accommodata:

vult enim ut Christiani omnibus etiam Ethnicis se faciant amabiles, ut eos sibi concilient, itaque ad Christum et virtutem pelliciant: haec enim amabilitate quasi esca capiuntur homines. Sic Christus et Apostoli satagebant efficere, ut ab omnibus amarentur, exhibendo se omnibus benevolos, comes, affabiles: hinc Paulus omnibus omnia factus est.

QUaecumque bonae fame, — quae vobis et Christo ac Christianismo nomen et famam concilient. Ambrosius vertit, *quaecumque laudabilia*; perperam Erasmus vertit, *quaecumque ovinata*, vel *boni sunt omnis*: licet enim hoc quoque significet Graecum *ἄσπιλον*, illa tamen significatio huic loco non convenit. Quae enim connexio vel affinitas est inter ea quae sunt pudica, iusta, sancta, et ea quae sunt boni omnis? *ἄσπιλον* ergo hic significat ea quae bonae sunt fame, ut fatetur Beza; *ἄσπιλον* enim famam significat.

SI QUAE LAUS DISCIPLINAE, HEC COGITATE. — In Graeco non est « discipline, » sed tantum *τις ἔργων*, id est *si qua laus*, videlicet bonae vitae et disciplinae, *q. d.* Quidquid est laudabilis disciplinae, quidquid est quod vos in sancta disciplina continet et exerceat, quodque disciplinam Christianam Ethnicis commendat, « haec, » id est jam dicta, « cogitate, » ut ea faciatis et exequamini.

Nota: Non laudem, sed laudabilia sectari jubet Apostolus. « Laudabilia fac, inquit Chrysostomus, sed non laudis respectu. »

9. QUAE ET DIDICISTIS, ET ACCEPTISTIS, ET AUDISTIS, ET VIDISTIS IN ME, HEC AGITE ET DEUS PACIS ERIT VOBISCU. — Hinc patet, Paulum in particulari de habitu, vestitu, mensa, colloquio, gestibus, moribus omnique modestia in templo, in plateis, in convivis, praesertim cum Ethnicis, observanda Philippensibus praescripisse, caetero verbo et exemplo (quomodo nimirum omnibus in rebus se gerere deberent) docuisse, quae litteris non sunt consignata, ea tamen vult ab eis servari; ergo non sola Scriptura est norma credendorum et agendorum, uti volunt Novantes.

Nota: « Deum pacis » vocat autorem et amatorem pacis, *q. d.* Deus, qui pacem amat, vobis aderit, et pacem vobiscum forebit facietque vos mutua pace frui: imo vobis pacem et gratiam Gentilium conciliabit.

10. TANDEN ALIQUANDO (post longiorem moram et torporem) REFORUISTIS PRO ME SENTIRE. — Graeco *ἀναβῆκατε τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ ἔργον*, id est, *revivistis pro me sentire*. Ubi nota: Est metaphora a plantis, quae hieme exarescunt, vere revirescunt, *ut, q. d.* Sic vos, o Philippenses, in algore quodam charitatis fuisistis erga me et quasi aridi: nunc novo vere et spiritu quasi afflante revivistis, revivistis ac revigistis. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

Secundo, *ἔργον*, id est sentire, capitur pro *ἔργον*, id est curare, curam et sollicitudinem gerere. Sic capitur *Coloss.* III, 2, et alibi, *q. d.* Insuperatis et obtorperatis nonnihili erga me mei-

que curam, o Philippenses; sed jam pristinum affectum, curam, sollicitudinem pro me alendo et fovendo resumpsistis. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

SICUT ET SENTIEBATIS. — *τοῦτο*, in quo sentiebatis, *q. d.* Qua in re solebatis sentire, id est solliciti esse pro me, videlicet in alimonia et necessariis vobis mihi procurandis.

OCCUPATI AUTEM ERATIS. — Quia tacite expraevit eis torporem eorumque negligentiam culpavit, hic increpationem mitigat et excusat, dicens: « Occupati eratis, » Graeco *ἔσχατοι*, id est non habuistis opportunitatem, mihi scilicet subveniendi, non habebatis ad manum quae mitteretis. Nam, ut Chrysostomus ait, erat vobis res angusta domi, non habebatis quo mihi succurretis, impenitentia et penuria vos occupabat, vobisque manus clauderat et ligabat. Adde, sicut Graecum *ἔσχατος* non tantum significat opportunitatem habere, sed et leoples ac dives sum, uti ex Suida et Athenaeo docet Henricus Stephanus: ita ejus contrarium, *ἔσχατος*, significat non tantum destitutor oportunitate, sed etiam opibus, pauperum. Ita quoque explicat S. Chrysostomus et Theophylactus. Unde Noster apte vertit (quidquid oclamel Beza) « occupati eratis, » vestra scilicet paupertas, vobis ipsis alendis vestrisque curandis, *q. d.* Non tam negligentiae vestrae tribuo, quod haecenus nihil ad me miseris, quam vestra inopia. Alii interpretantur: Non habebatis opportunitatem, id est fidum nuntium, pro quem miseretis.

11. NON QUASI PROPTER PENURIAM DICO, — id est, ut clarius vertit Syrus, non quod penuriam passus sim aut patiar, id dico, scilicet quod gaudeam in vestra pro me sollicitudine et elemosyna.

Ego enim didici (exercitio, usu et assuetudine) IN QUIBUS SUM (jis quae habeo, quae mihi ad manum sunt) SUFFICIENS ESSE. — Graeco *ἀρῆς ἐστίν ἐμοί*, id est mihi sufficiens et contentus esse.

Nota, Dei proprium esse sibi sufficere, indeque hebraice vocatur *Saddai*, *q. d.* *ἰστέον*, id est cui est omnis sufficientia, vel qui omnem habet sufficientiam. Hinc nonnulli ab hoc Hebraeo nomine *ἰστέον*, id est sufficientia, nomen Deus, et *θεός* ac *Ζεὺς*, deducendum putant, ut haec omnia idem sint quod Hebraeorum *saddai*, et Graecum *ἀρῆς ἐστίν*. Deus enim est, qui in seipso perfectus, sufficiens, beatus, nullo indiget, et quo cetera omnia indigent; et hoc est quod ait Psaltes, *Psal.* XV, 2: « Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam honorum meorum non esse, » quae sit abundante, qua non solum sibi, sed et omnibus creaturis sufficiat, et abunde suggerat quod cuique convenit; et hoc significat Hebraeorum *saddai*, hoc est qui omnem sufficientiam et abundantiam ita habet, ut eam aliis tribuat et communicet quasi cornu copiae. *o. d.* Sufficientissimus, abun-

dantissimus, copiosissimus, de cuius plenitudine ut ait Joannes, cap. I, omnes accepimus. Hinc S. Paulus vim vocis *saddai* explicans, I *Timoth.* cap. VI, 17: « Divitibus, inquit, praecipue, etc., non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui praestat nobis omnia ad fruendum, » id est qui est *saddai*. Sic et R. Saadias: « Ideo, ait, Deus dicitur est *Saddai*, quod ipse abundet, omnesque omnium creaturarum defectus expleat. » Haec de causa Graeci Hebraeorum *Saddai*, tunc *ἰστέον*, nunc *Πατριάρχης*, Latini vero passim *Omnipotens*, vertunt. « Aquila, inquit Hieronymus ad Marcellianum, vertit *ἰστέον*, quod nos robustum et sufficientiam ad omnia perpetranda accipere possumus. » Eandem vim vocis *Saddai* explicat Paulus, Act. XVII, 24: « Deum, ait, qui fecit mundum et omnia, etc., nec manibus humanis celitus indigens aliquid, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia, etc.; in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus. »

Dicitur ergo Deus *Saddai* non tantum hoc nomine, quod sit omnipotens et omnia possit, sed etiam quod sit efflux, et efficaciter omnia in omnibus operetur et faciat, ipsiusque cura, prudentia, sapientia, bonitate cuncta existant, vivant, moveantur; quodque omnes homines, adeoque universae creaturae de ejus inexhausta plenitudine, existentiam, vitam, operationes, bonaque omnia, tanquam ab aeterno thesauro et fonte perenni, accipiant. Unde Plato distinguens haec tria *ἰστέον*, *ἀρῆς ἐστίν* et *ἰστέον*, id est inopiam, sufficientiam et redundantiam, sive effusionem, solam *ἰστέον*, hoc est bonitatis abundantiam et effusionem, Deo tribuit. « Sicut, inquit, crater aliquis vino plenissimus superfluit, sic et Dei bonitas in se plenissima redundat et superfluit in homines aliasque creaturas. » Platonem haecenus tantum reprehendit Nazianzenus, orat. *De Filio*, quod effusionem quamdam naturalem, non voluntariam et liberam, hoc exemplo inuere videatur: nam alias effusionem hanc in Deo admittit Nazianzenus, orat. 2 *De Paschate*.

Hinc eximium et divinum bonum, adeoque divinae virtutis, perfectionis et felicitatis primaria participatio est, si quis sit *ἀρῆς ἐστίν*, id est sibi sufficiens, sua sorte et re contentus, adeo ut nihil appetens nullo indigeat, sed potius pro sua sorte se suaque aliis communicet et liberaliter effundat. Talem se hic Paulus omnibus imitandum proponit; haecque virtutum eum docuit, tum continua peregrinatio, tum carcer. Id se in ipsa et pari experientia didicisse solebat asserere Reverendus Vendevillius, nuper Episcopus Tornacensis, vir Apostolici zeli; qui cum consiliarium adhuc ageret, ductus ab haereticis et versus Hollandiam captus, cum in carcere tenui et aspero victu vitare cogeret, dureque tractaretur, sanus tamen, vegetus ac valens vixit; ac tandem carcere liberatus, cum ad nos rediret, rogatus qui se in carcere habuisset, respondit se

tiantia didicisse, quod nunquam crederet nisi expertus, naturam tam paucis esse contentam; imo valere et vigere: Didici, inquit, in carcere mihi esse sufficiens, et paucis villibusque esse contentus, qui tenerior ac molliori vita assuetus. putabam mihi impossibile ita vivere; itaque carcer insignis mihi fuit schola beneficium, pro quo ingentes Deo gratias ago. De hac sufficientia plura dixi I Timoth. vi, 8, et II Cor. ix, 8.

12. SCIO ET HUMILIARI, SCIO ET ABUNDARE; ET SATIARI, ET ESURIRE; ET ABUNDARE, ET PENURIAM PATI. — Vatablus et Erasmus vertunt, novi humilis esse, novi et excellere, id est, scio quo deo esse animo cum me Deus deprimat, ac rursus, cum me ceteris excellere facit; excellentia enim proprie opponitur humilitati, ac abundantia. Et Græcum *επισημαίνω* non tantum abundare, sed et precellere significat. Verum melius vertit Noster, scio et humiliari, scio et abundare: non enim loquitur Apostolus de humilitate mentis, sed paupertatis. Hebræi enim *פדאע* tam tenem et inopem, quam humilem, vilem et abjectum vocant; et *עני* qui tam pauperem et inopem, quam humilem, mitem et mansuetum vocant: qui enim inops est, quasi vilis contemnitur, idemque superbis divitiibus humiliter et mansuete loquitur. « Humiliari » ergo hic significat esse inopem et indigum; unde et opponitur, non superbiere, sed abundare; » agit enim Apostolus de rerum penuria et copia. Rursus « humiliari, » id est jejunare: nam Hebræi *ענוה* *anot nephes*, id est humiliare, vel affligere animam, vocant jejunare. Unde mox explicans subdit, et satiari, et esurire; et abundare, et penuriam pati, q. d. Scio ferre penuriam, scio ferre et abundantiam, scio quomodo me in penuria geram, scio quomodo et in abundantia: in illa scilicet non tristari, non deieci, paucis esse contentus scio; in hac non dissolvi, non delictari, sed que supersunt in pauperes conferre. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

Unique ET IN OMNIBUS INSTITUTUS SUM. — Græce *κατασκευασμένος*, id est mysteriis initiatus sum, sacris imbutus sum. Significat ergo primo, in Christianismo omnem tam copiam quam inopiam, totamque vitam esse velut perane sacrificium Deo consecratum, cujus ritus et modum Christus nos docuit, docetque suos mystas sanctos, arcane scilicet et interioris, illius mysterium, quod alios omnes latet.

Secundo, mysterium hoc est scire, quomodo tam paupertatem quam opulentiam ferre, quomodo tam inquam et convulsis, quam in penuria, fame et siti te gerere debeas, nimirum ut utrobique modum teneas, amnique quietem ac patientiam conserves; nec enim minor, imo major est virtus, si ad splendendam et opiparam mensam assidens tot illecebriis et deliciis non capiaris, metas temperantiae non excedas, sed in solita continentia et frugalitate te contineas, quam si a

rustico invitatus ad prandium atro pane et lario sis contentus, nec plura requiras. « Magna et rara virtus est, ait Bernardus, inter epulas esurire, inter vestes algere, inter honores humiliari. Scivit Annibal esurire et penuriam pati, nescivit satiari et abundare: nam delicia Capuanæ Annibalem invictum enervarunt, et Romanis jam imbellem vincendum objecerunt. »

Tertio, sciat mysteria prius a mystis discantur tum studendo, tum experiendo, deinde ab isdem satis jam doctis et instructis exercantur: ita Paulus significat se quasi mystam hoc Christianæ continentia mysterium tam in rerum copia, quam penuria, prius edoctum esse a Christo, jam vero illud ipsum exercere et in praxim redigere.

ABUNDARE ET PENURIAM PATI, — *επισημαίνω* *κατασκευασμένος*, id est abundare et deficere, habere quod supersit et pati quod desit, q. d. Scio quomodo me geram cum abundo bonis et cum iis destitutus, scio quomodo utar eo quod supersit et eo quod deest. Pulchre hunc locum explicans S. Gregorius, hom. 16 in Ezech. : « Numquidnam, inquit, fratres, ars est aliqua, humiliari et abundare, satiari et esurire, abundare et penuriam pati; ut pro magno se ista scire tantus prædicator insinuet? Ars omnino et mira discipline scientia, quæ toto nobis cordis est aditus descendenda. Quem enim penuria sua non frangit, a gratiarum actione non retrahit, in rerum temporalium desiderium non accendit, scit humiliari: hoc enim loco Apostolus humiliari dicit, penuriam perpeti; nam statim et contrario subjungit: Scio et abundare. Qui enim acceptis rebus non extollitur, qui eas ad usum vane glorie non intorquet, qui solus non possidet quod accepit, sed hoc cum indigentibus misericorditer dividit, scit abundare. Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris utilitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit, quam necessitas petit, scit satiari. Qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate virtutis agit aliquid, unde anima peccati laqueum incurrat, scit esurire. Quem ergo nec abundantia in superbiam elevat, nec in necessitate cupiditas irritat, novit abundare, novit penuriam pati. Qui cum statim subdidit: Omnia possum; ne elationis esse verba crederemus, adjunxit: In eo qui me confortat, et que sequuntur. »

Moraliter S. Chrysostomus, hom. 79 in Joan., tom. III, docet hoc præcipue angelos a nobis differre, quod non tam multis indigeant ut nos, ac propterea quanto paucioribus indigerimus, tanto magis illis appropinquabimus, ipsique Deo: quanto vero pluribus abundamus, tanto magis ad hanc vitam caduam deflectimus, et tanto magis dissimiles angelis sumus. Vera namque libertas est, nulla re prorsus indigere; quam libertatem solus Deus obtinet. Proxima huic libertas est

Exemplum Anachoritis.

minimis indigere; quam habent angeli. Hanc veros et possumus et debemus imitari, ne patiamur qui Christiani sumus, vinci nos ab Ethnicis, qui paucis contenti, leti et hilares vixerunt, uti Crates, Socrates, Diogenes et alii. Socrates enim sæpe cum eorum que publice vendebantur multitudinem aspiceret, aiebat: « Quam multis ipse non ego! » In facilitate victus gloriabatur dicens: « Qui suavissime comederet, eum minime obsonio egere, eumque diis maxime propinquum esse, qui minimis eget. » Testis est Laertius in Socrate.

Ita Cicero, V. Tuscul., refert Anacharsim, Scytharum philosophum, ad suos scripsisse: « Mihi amictus, tegmen Scythicum; salicamentum, solearem callum; cubile, terra; pulmentum, fames, » etc. Audi et Senecam lib. XIII, Epist. 411: « Non est, inquit, quod te nimis laudes, si contempseris aureos lectos; quæ est enim virtus supervacanea contemnerere, præsertim hominem philosophum? Tunc te admirare, cum contempseris necessaria; tunc te admirabor, cum contempseris etiam sordidum panem. » Nimirum, « magnum vegetal (non tantum census, sed et virtutis) est parcimonia. » Sicut enim ex editissima ratio augendi census est, detrudere in sumptibus, ut Eschinem docuit Socrates; ita ex pedilissima ratio augende continentie et virtutis est, detrudere delicias et voluptatibus. Audi quid fecerit Cato senior: « Neque, inquit, mihi edificatio, neque vestimentum ullum in manu pretiosam, neque pretiosus serpens, neque ancilla. Si quid est quo utar, utar; si non est, ego sum, quo cuique per me uti atque frui licet. » Audi Poetae:

Quis dives? qui nil cupit: et quis pauper? avarus.

13. OMNIA POSSUM IN EO QUI ME CONFORTAT. — Pro « possum, » græce est *επισημαίνω*, id est potens, fortis, validus sum. Secundo, pro « confortat, » græce est *ἐπισημαίνω*, id est qui me intus corroborat, validum ac robustum facit, suggerendo scilicet animæ, menti, voluntati vires gratiasque.

« Quante, » inquit S. Bernardus, serm. 85 in Cant., fiducia vox, Omnia possum in eo qui me confortat! Nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes, qui in se sperant. Denique omnia possibilia sunt credenti. An deus omnipotens, cui omnia possibilia sunt? Ita animus, si non presumat de se, sed si confortetur a Verbo, poterit utique dominari sui, ut non dominetur ei omnis iniquitas; Ita, inquam, Verbo innixum et indutum virtute ex alto nulla vis, nulla fraus, nulla jam illecebra poterit vel stantem dejicere, vel subijcere dominantem.

14. VERUMTAMEN BENE FECISTIS COMMUNICANTES TRIBULATIONI MEÆ, — id est, quod mihi res vestras et facultates communicastis in tribulatione mea, cum victus essem, bene fecistis: sic enim vincula mea et tribulationem sublevastis et partem quasi tribulationis meæ ab humeris meis in ves-

Dens frons omnipotentes qui sperant in illo.

Ver. 14.

tros humeros derivastis et recepistis; ac consequenter sicut participes vos faceret et communicare voluistis meæ tribulationi et vinculis, sic et præmi, quod ex tribulatione hæc apud Deum expecto, participes eritis, in eoque mecum communicabitis.

15. NULLA MIHI ECCLESIA COMMUNICAVIT IN RATIONE DATI ET ACCEPTI, NISI VOS SOLI. — « In ratione, » id est in computo et compensatione dati et accepti, compensando scilicet spiritualia a me accepta datis suis temporalibus donis, vel potius stipendiis. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

Allud ad tabulas computum, libros et rationarios mercatorum, qui una libri parte vel tabula conscribit sua data et exposita, altera accepta, que pro expositis receperunt; ut significet esse quandam commutationem quasi mercium inter prædicatores et auditores, nimirum prædicatores tradere Evangelium, veritatem et bona spiritualia, auditores vero eis rependere alimenta et bona temporalia. Rursus significat quemque hominem talem librum rationum habere respectu Dei, ut patebit vers. 17, q. d. A vobis solis, o Philippenses, recepi quod referam in codicem datorum et acceptorum, quod Rabbini dicunt *מלתא ומלתא* *mal-tan umasa*, sive, ut clarius Adamus, q. d. Habeo duas tabulas rationarias, quarum una continet ea que dedi (predicationem scilicet, labores, impensas et bona Evangelii): quas dum inspecio, video me multa dedisse et impendisse Ecclesie Macedonia, nihil vero ab eis accepisse, nisi a vobis solis, qui estis Philippis. Hoc dicit Apostolus, et amoliarit a se avaritiam divitiarumque suspitionem, ne putent eum passim ab omnibus corrogare hæc stipendia, itaque se ditare ac opibus inhiare.

16. QUIA ET THESSALONICAM (GRÆCE IN THESSALONICAM, SCILICET EXISTENTI MIHI) SEMEL ET BIS (SEMEL ET ITERUM) IN USUM (FRIBUERE, AD EGESTATEM, SCILICET, LEVANDAM; VEL, UT SYRUS, ID QUO INDIGEBAM) MIHI MISISTIS.

17. NON QUIA QUERO DATUM (SYRUS, NON QUIA MEIUS REQUIRO), SED REQUIRO FRUCTUM ABUNDANTIÆ IN RATIONE VESTRA. — Ita Romana, licet Græca habeant, in rationem vestram. Nota: « Ratio » hic, uti et vers. 13, computum significat. Persistit enim in metaphora librorum computuum, quos conficiunt mercatores ut ratio receptæ et expensorum constet.

Dicit ergo quemque Christum sibi talem rationum cum Deo ineundarum librum conficere non ex charta, sed re ipsa, ipsisque factis (quorum in nostra, tum potius in Dei memoria conservantur), in quo quasi una parte scribat ea que a Deo accepit, altera que in Dei honorem et obsequium expendit, puta actum virtutum, præsertim elemosynarum, q. d. Dum tacite vos incito ad subveniendum egestati meæ, o Philippenses, non mea, sed vestra lucra requiro, ut vos vobisipsa magna elemosynarum opera ac merita accumulatis, que in codice rationum vestrarum cum Deo

Quinta habet librum computum cum Deo. Quis habeat malitiam unam?

Ver. 16.

Ver. 17.

Quinta significat sibi librum rationum cum Deo conficere.

ineundam scribere possitis, tanquam propter Deum expensa, quæque Deo ipsi in ratione vestra quasi credita vestra computetis, ut ipse vobis hæc rependat et solvat æterna mercede.

Cosmas  
Medici  
compertus  
sua Deo.

Ita Cosmas Medicus, qui fuit magnorum Græcorum Hetruriae primus, multa expendebat in pauperes, eumque quidam ex familiaribus eum nimis liberalem appellaret, respondit, « se in libro initarum cum Deo rationum dati et accepti nunquam potuisse eo pervenire, ut quæ deberet Deo, solveret: nam quo plura dabat, eo plura recipiebat, semperque inveniebat se debitorem, Deum vero creditorem. » Didicerat hoc ex S. Nazianzeno qui, orat. *De Amore pauperum*, ait: « Nunquam Dei liberalitatem et beneficentiam vines, quamvis omnium tuarum facultatum jacturam feceris, quomvis te etiam facultatibus adjecceris. Nam hoc quoque ipsum accipere, est Deum aliquid nobis donare. » Adidit Nazianzenus duas insignes similitudines: unam umbræ, quæ nunquam potest corpus progredi, cum simul ea ad progressum corporis progrediatur; alteram capitis, ultra quod cætera membra nunquam possunt exrescere, cum quantumvis illa angeantur, semper caput item attollatur atque superet.

18. HABEO AUTEM OMNIA. — Græce, *ἔχω*, id est recepi ea quæ ad me misistis quasi censum et stipendium debitum prædicationi meæ apud vos. Ita Theophylactus (1).

ET ABUNDO. — Vestra elemosyna plane levavit inopiam meam, ut jam necessariis vite abundem. Ita enim se explicat dum subdit:

REPLETUS SUM, — expletus sum. S. Cyprianus explicans orationem Dominicam legit, *saturus sum, q. d.* Omnis mea penuria, omnis fames, omnis egestas, omne desiderium meum expletum est.

ACCEPTIS (postquam accepi) AD EPAPHRODITUM QUE MISISTIS, ODOREM SUAVITATIS, HOSTIAM ACCEPTAM, FLAGENTEM DEO. — Nota: Elemosynam vocat « hostiam » et sacrificium, non proprium, sed metaphorice, ut patet. *Secundo*, hanc « hostiam » per appositionem vocat « odorem suavitatis; » aludit enim ad vetera sacrificia, quæ ad Deum per ignem et fumum ascendeant, ideoque Deus ea quasi sibi oblata dicebatur odorari, tanquam illa odorem suavem spargerent et allarent naribus Dei. Unde et thurs is imponebatur, tum ad suffitum et suavem odorem excitandum, tum ut per thurs (quo omnium gentium ritu Deus colitur) significaretur illa Deo offerri et dicari, *q. d.*

Elemosyna est sacrificium odoratum Deo et sacrificium.

(1) Alii « Habeo autem omnia, » id est, sufficit mihi quod accepi, nihil amplius desidero. Hunc sensum requirere videtur proxima.

Elemosyna vestra quasi thus, vel thymama suavissimi odoris, sive potius quasi hostia et victima, quæ cum thure per ignem et fumum ad Deum suavissimo odore ascendit, mihi pergrata et jucunda fuit, nec solum mihi, sed et ipsi Deo. Sic Hier. xiii, 16, dicitur: « Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. »

19. DEUS IMPLEAT OMNE DESIDERIUM. — Græca hic variant: alia legunt *ἡγάθη*, id est, gaudium, et sic videri potest legisse Noster, ut metonymice per gaudium intellexerit desiderium; » non enim aliter impletur gaudium nostrum, quam dum impletur desiderium nostrum; alia legunt *ἡγάθη*, id est gratiam; alia et plura *ἡγάθη*, id est necessitatem. Unde Syrus, Vatablus et alii vertunt, *Deus autem meus implet omnem indigentiam vestram secundum opulentiam suam, q. d.* Vos vobis subtraxistis ea quæ mihi misistis, et ex tenuitate ad pauperitatem vestram meam penuriam expletis; ego vicissim Deum rogo, ut suppleat vestram inopiam, imo omne desiderium vestrum. Hoc enim meretur elemosyna, et congruum est, ut, si propter Deum in pauperes liberales simus, Deus vicissim in nos multo liberalior sit, ut dixi II *Corinth.* ix, 6.

SECUNDUM DIVITIAS SUAS, — *q. d.* Facile est Deo vobis rependere, vos ditare, vestra bona expletis; est enim ditissimus. Ita Chrysostomus.

IN GLORIA, — id est cum gloria. Ita Vatablus. Vel simpliciter hebraismo, « in gloria, » id est gloriosè, *q. d.* Deus faciat vos gloriosos tum celebritate et gloria æterna apud Deum, tum presentia apud homines, ut illi vestram videntem paupertatem ac munificentiam, et ex altera parte Dei in vos providentiam et liberalitatem, ita ut nihil vobis desit; glorificent ac celebrent tam vestram virtutem, quam Dei Christianorum bonitatem ac magnificentiam.

IN CHRISTO IEST. — Id est per Christum Jesum. *Secundo*, et sublimius, ex mente Pauli, *q. d.* Secundum divitias gloriæ, quas ostendit in Christo et Christi Ecclesia, quæque decet Christum Dei unigenitum, ejusque discipulos et filios, puta Christianos.

21. SALUTATE OMNEM SANCTUM IN CHRISTO, — id est Christianum, qui baptismo sanctificatus est per Christum, et professione ac vocatione Christiana sanctus est, ut dixi jam superius.

Deo et Patri nostro sit gloria in sæcula sæculorum. O utinam tam beata sors in nos cadat, ut hoc in perpetuum dicamus: « Quid sunt, quam immensa sunt, quam æterna sunt « sæcula sæculorum! » Quid sunt, quam jucunda sunt, quam gloriosa sunt in cœlis « sancta sanctorum! »

## COMMENTARIUS

IN EPISTOLAM

# AD COLOSSENSIS.

## ARGUMENTUM

Colosenses non sunt Rhodi.

Nota primo: Putarunt aliqui cum Suida, Zonara, Glyca, Eustathio, Colosenses esse Rhodios, ita dictos a colosso solo, qui erat Rhodi. Sed hos falli certum est; Colosse enim civitas est Phrygiæ, vicina Hierapoli et Laodiceæ, ut docet Plinius, lib. V, cap. xxxi; Herodotus, lib. VII; Strabo, lib. XII, que sub Nerone cum Laodiceæ et Hierapoli terramotum concidit, ut narrat Orosius. Unde et Apostolus hic, cap. iv, vers. 16, jubet ut Colosenses legant epistolam Laodicensium, quasi vicinorum, et contra. Colosse, inquit Theophylactus, civitas est Phrygiæ, que nunc vocatur *Chonæ*, ubi celebris fuit apparitio et memoria S. Michaelis, uti dicam cap. ii, vers. 18 (1).

Colosenses sunt Chonæ, que fuit vicinior Phrygiæ.

Nota secundo: Nec Colossis, nec Laodiceæ prædicaverat Paulus; id enim satis insinuat cap. ii, vers. 1. Sicut ergo scribit ad Romanos cum eos necdum vidisset, ita scribit et ad Colosenses necdum a se visos, ait Chrysostomus et Theophylactus. Colossensium itaque doctor fuit Ephaphras, hic enim eos fidem Christi docuit, ut patet cap. i, vers. 7, cap. xv, ubi Romæ cum Paulo in vinculis posito, ut ait cap. iv, vers. 13, successit Archippus, de quo cap. iv, vers. 17, dicit: « Dicitis Archippo: Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas (2). »

Nota tertio, pro materia et argumento: Hæc

(1) Cap. i, 2, legitur in Græco *Kolassai*, per a; disputatio igitur an hæc lectio sit genuina. Negat D. Glaire, *Introduktion aux livres de l'Anc. et du Nouv. Testam.*, tom. VI, p. 129; Rosenmullerus *estimat*, plurimorum codic. auctoritate iunxit.

(2) Occasionem conscribendi hanc epistolam dedit Paulus, quod periculum esset, ne Colosenses cum vicinis Laodicensibus et Hierapolitanis per falsos doctores abducerentur a veritate Evangelii, quod eo magis erat verendum, quia doctrina Christi in nos ab Apostolo quodam, sed per Ephaphram tradita erat. Quales ii fuerint doctores et doctrine, vide Sepp, op. cit. tom. II, p. 367; D. Glaire, *ibid.*, p. 131; Haneberg, *Geschichte der biblischen Offenbarung*, p. 625, qui gnosticos fuisse eos putant. Proximum occasionem scribendi dedisse videtur Epistola Laodicensium ad Apostolum scripta, cap. iv 16. Videtur enim Laodicenses perscriptisse ad Paulum de erroribus falsorum illorum doctorum, eumque consuluisse. Is igitur nunc respondet, mittens quidem epistolam ad Colosenses, sed rogans ut eandem Laodicensibus mitterent,

epistola Paulus insectatur Simonem Magum ejusmodi asselas hereticos, qui uti Ephesi, ita Colossis et alibi sua virulenta dogmata spargebant, ac nominatim docebant, non Christum, sed angelos nostræ salutis esse mediatores et reconciliatores apud Deum, inquit Chrysostomus et Ambrosius, absurdum putantes credere, quod Filius Dei in extremis temporibus apparerit in carne, cum in veteri Testamento Deus per angelos apparere, omniaque sua per eosdem facere et exequi apud homines soleret. Huic dogmati addebant multas observationes Judaicas et gentilitias, dies eorum observantes et tempora et cibos; que omnia cum indigerent correctione, ait Theophylactus, moverunt Apostolum ut hæc scriberet epistolam, qua primo, hunc errorem de angelis, illasque observationes redarguit. Deinde cullibet hominum generi dat vite ac morum documenta; ac demum salutationibus claudit epistolam (3).

Nota quarto: Hæc epistola valde affinis est quoad materiam, epistolæ ad Ephesios: imo eadem pene ad verbum cum illa subinde habet sententias; non quod eodem tempore et impetu sit scripta; nam ad Ephesios anno priore, cum necdum Romam venisset Timotheus, scripta est; hæc vero posterius, ut jam dicam; sed quod eadem materia easdem pene sententias posceret; ac forte quod relegens epistolam suam ad Ephesios datam, Apostolus eam in mente haberet et ex ea

et peteret ab ipsis exemplum epistolæ ad Paulum scriptæ, ut melius intelligerent Pauli responsum.

(3) « Præcipuus Apostoli scopus est, ut eviderent ostendat, in solo Christo ejusque doctrina universam divinam voluntatis cognitionem atque omnia salutis presidia sufficienter nobis exposita esse, ac præinde nihil amplius extra Christum ejusque doctrinam in hoc quidem genere expectandum et epilogum, quæ sunt primæ; a) dissertit Apostolus de beneficiis Dei in hominibus in Christo preparatis, ita quidem ut modo thesin, modo antithesin exponat, et passim gratiarum actiones et præcesiones, item exhortationes ac dehortationes inspergat, cap. i et ii. b) Agit Apostolus de præceptis Christiana vite, tum communibus, que ad omnes Christianos ex regio pertinent, tum propriis quarundam vocationum, præsertim in vita domestica. » Hæc Rosenmullerus.

docuerunt non Christum, sed angelos, esse nostros mediatores.